



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 16. Galla vidua amore castitatis barbata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

bus & subitum monstrum videbatur. Parens ita demutatam nec pro femina, nec pro filia agnouit, sed, quòd comperisset, esse Christianam, diris eam tormentis subiectam, tandem in crucem clavis affixam crudelissimè interemit; hoc ipso postea, in toto terrarum orbe celebratam, quia barbata virgo mori maluit, quàm incæsto coniugio fœdari.

§. XVI.

Galla vidua amore castitatis barbata.

Tanta est Numinis prouidentia, tanta Conditoris cura, vt Christus, verè dixerit:

Matth.

Jo. 30.

Luc. 21. 18.

Vestri capilli capitis omnes numerati sunt; & quidem ita numerati, vt alibi addiderit:

Et capillus de capite vestro non peribit. Quod si capillus de capite non cadit, sine prouidentia Dei, multò minùs sine eadem prouidentia illi accedet. Numinis igitur & sapientia & bonitas est, etiam feminae barba, sub qua tutò castitas potest latere, quæ utique plus pulchritudinis habet, quàm vlla etiam in hoc sexu barba monstrositatis. Quare etiam in hunc numerum apponenda est Romana illa vidua, de qua D.

S. Greg.

lib. 4. dia-

log. c. 13.

Gregorius ita scribit: *Gothorum temporibus*

Galla huius urbis nobilissima puella Symmachi con-

Chi Consulis ac Patricij filia, intra adole-
 scentie tempora marito tradita, in unius an-
 ni spatio, eius est morte viduata, quam dum
 fervente Mundi copia ad iterandum thalamum
 et opes, et atas vocaret, elegit magis spiritua-
 libus nuptiis copulari Deo, in quibus à luctu
 incipitur, sed ad aeterna gaudia pervenitur,
 quam carnalibus nuptiis subijci, quae à letitia
 semper incipiunt, et ad finem cum luctu ten-
 dunt. Huic verò cum valde ignea corporis con-
 spersio inesset, coeperunt medici dicere: quia
 nisi ad amplexus viriles rediret, calore nimio
 contra naturam barbam esset habitura. Quod
 ita quoque post factum est. Sed sancta mulier ni-
 hil exterius deformitatis timuit, quae interiùs
 sponsi caelestis speciem amavit: nec verita est, si
 hoc in illa foedaretur, quod à caelesti sponso in
 ea non amaretur. Mox ergo ut eius maritus
 defunctus est, abiecto seculari habitu, ad om-
 nipotentis Dei servitium se se apud B. Petri
 Apostoli Ecclesiam monasterio tradidit, ibique
 multis annis simplicitati cordis atque orationi
 dedita larga indigentibus elemosynarum ope-
 ra impendit. Cumque omnipotens Deus peren-
 nem iam mercedem reddere eius laboribus de-
 crevisset, cancri ulcere in mamilla percussa est.
 Nocturno autem tempore ante lectum eius

B b 5

duo

Vide de
 hac cad.
 Fulgen-
 tium in
 ep. ad
 Gallam.

duo candelabra lucere consueuerant, quia videlicet amica lucis non solum spirituales, sed & corporales tenebras odio habebat. Quæ dum nocte quadam ex hac eadem iaceret infirmitate fatigata, vidit B. Petrum Apostolum inter utraque candelabra ante suum lectum constitisse. Nec perterrita timuit, sed ex amore sumens audaciam exultauit, eiq; dixit: quid est domine mi, dimissa sunt mihi peccata mea? cui ille benignissimi, ut est, vultus, inclinato capite annuit, dicens: dimissa, Veni. Ita igitur ad cælestia regna viam inuenit Galla, quæ maluit esse barbata, quàm maritata.

§. XVII.

Alia virgines morbis deformata, ne virginitatis iacturam paterentur.

Sur. to. 1.
in vita
eius,

Capitis hucusque & mamillæ defectus vtilis extitisse ostendimus, in alijs etiam totius corporis vitium morbusque virtuti profuit. *Angadrisina virgo, in Gallia, Lothario regnante, fuit, quæ cum à parentibus Ausberto Principi viro, qui postea Rothomagensem Ecclesiam erexit, inuita desponsaretur, multis cum lachrymis Dominum obsecranit, ne suam pollui virginitatem pateretur. Moxq; lepra morbo totum corpus occupante, ob fœditatem intacta dimittitur; &*

ne in